

והוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא

הוא



CARMEN HEXAMETRVM:  
IN PENTECOSTE:  
DE SPIRITV SANCTO.  
CONTRA ANTITRINITA-  
RIOS.

Aũtore

Salomone Frenzelio P. L. Cæs.

*Dei Ho-  
na Chriſti*

S. TRINITATI, ET BONIS.



ANNO REDEMPTI ORBIS  
M. D. LXXXVII.

*1 Julij anno 87  
Donum ex Ma-  
Autoris*



CARMEN HEXAMETRV.M:

IN PENTECOSTE:

DE SPIRITU S ANCTO.

CONTRA ANTI TRINITA.

R102.

\*

Poesis dulce studium. dulce autem  
esse desinit, cùm non est reliquorum  
studiorum condimentum tantùm.

S. TRINITATI ET BONIS.

[500-3]



223699 II

ANNO REDEMPTI ORBIS

M. D. LXXXVII

*Handwritten notes in the bottom left corner, including "Poesis" and "studium".*



# GREGORIO RHENANO,

celebris Reipub. Nissenæ Notario benemerenti, Viro  
doctrinæ eruditione, singulari humanitate, gravitate  
morum, dignitate, omnibusq. virtutib. spectatissis-  
mo: Domino & Amico suo  
honorando.

SALOMON FRENZELIVS S.

σ α ω β ε ι ς.

**C**ogitanti mihi accuratè, Gregori Rhenanè, de testimonio grati animi  
apud te deponendo, pro amicitia nuper inter nos contractâ, quam tu bre-  
vi tempore non verbis tantum, sed longo etiam beneficio mihi candidè pro-  
bavisti: opportunè sub manib. veniebat opella, quæ interea secuturi melioris  
Doni expectationem sustinere apud te posse videretur. Ea est, quam vides, lites  
raria, & sacra, posteaquam enim, Auspice & Duce Deo, ex itinere Lipsiensi, in  
ipso profesto die S. Pentecostes domum salvo Vectore delatus, Parentes dilectos  
pristinâ valetudine utentes inveni, vidi, salutavi: nihil prius habui, quàm ut,  
dictitante Sancto Spiritu, Hymnum laudib. sacratissimæ Trinitatis meditarer  
Cum pro consuetudine mea anniversariâ, tum inprimis pro itinere feliciter con-  
tinuato, Etenim ego in eâ sum cogitatione, nullum tempus collocari rectius,  
quàm quod divinarum rerum meditationib. sobriè impenditur, hujus consilii,  
inter causas penè numero plures, duas habeo: Mandatum DEI, & funestissimam  
publicarum calamitatum congeriem. de priori non est, quòd verba faciam,  
nisi Soli lucem ad fundere velim. At verò posteriori quid potest esse verius?  
unicum mihi angulum mundi nomina, ubi non hoc anno, hoc ipso anno, omnia  
consilia, omnes molitiones, omnes casus, omnes mores hominum, splendorum,  
tenuium, ad fatalem octogesi octavi (heu nimium vicini) anni completionem  
conspirent: ut de ipsis Mundi Elementis, & maxissima calorum facie nihil in  
medium adferam. *Ἐσχάτα ἔσχατων*, quod Græci dicunt, jam ludum circum-  
vallarunt nos. neq. restat aliud, nisi (quia nobis hætenus latitare visa sunt)  
erumpant, summa misceant imis, & nos opprimant. Quod verò contra hunc  
acutissimum metum præsentius potest excogitari *ἄγχι τοῦ*, quàm cura, & me-  
ditatio bene beaq. moriendi? ea eam non aliunde proficiatur, nisi ex vivis  
A ij scrib.



fñtib. Israëlís : non dubito, omnes bonos institutum hoc meum comprobaturus.  
 Quid Satana insidiis periculosus? quid contra Spiritus sancti gratiá efficacius.  
 Quare spiritus iste, hoc præsertim tempore pœcum & laudum divinarum hono-  
 rib. ornandus est. Diabolica Vox est Politiani, qui interrogatus: legeretne  
 scripta Prophetica & Apostolica? Semel se, respondit, in eam incubuisse un-  
 tam: nullum verò tempus perdidisse iniquius. Ex hoc Exemplo vel unico ap-  
 paret, quàm horrendum sit, pectus vacuum divino Spiritu circumgerere: &  
 quàm necessario diligenterq. hic OPT. MAX. Hospes sit invitandus,  
 quàm verò religiosè retinendus! Quare, cum hoc sit totum Argumentum se-  
 quentium Versiculorum, confido eos te, Vir ornatissime, grato animo acceptu-  
 ros: quanquam nihil à me ad te pervenire posse credo, quod tibi non sit gratum.  
 Fateor carmen non rerum gravitati & tantis Mysteriis par esse, neq. mihi ipsi  
 satisfacere: sed reliquiæ molestiarum ex longiori peregrinatione susceptarum  
 subtiliorib. Cerebri spiritibus locum dare statim sub initium noluerunt.  
 Bonus igitur Lector, pulverulentum Carmen, tibi donatum, tecum boni consu-  
 let. Tu me, quod facis ama. ego te verè redamo & colo, multis adductus ho-  
 nestissimis causis, quod aliquando (si non interea fractus illabatur orbis) claris-  
 us perficies. neq. tibi, mi cariss. Rhenane, vel amore, vel humanitate un-  
 quam cedam, in reliquis libenter te inferior futurus. Spiritus Veritatis regat  
 nostros animos, ut VNV M stmus in Christo, & ad æternam beatorum con-  
 suetudinem, qua hæc Vita minimè digna est, maneamus. Vale, & saluta ex me  
 Hertelium nostrum, ob Eruditionem non vulgarem omnium bonorum Amicitia  
 dignum. Pilizhevii: XI. Kal. Iunii, Calen. Gregor. quo die Deus olim iratus  
 fulmine accendit postremâ partem Castrorum populi Israel, pertassè itinerum, &  
 laborum, & murmurantis adversus Dominum. Nobis verò longè infusus ful-  
 men, & fatale illud incendium imminet, omnib. momentis huius novi simi tem-  
 poris, metuendum malis, bonis sperandum. Iterum vale, vir amplissime,

Amice dilecte. Anno recuperatæ Salutis humanæ

M. D. LXXXVII,

CAR



C A R M E N  
IN P E N T E C O S T E  
De Spiritu sancto.

**N**on homini majus poterat dare pignus amoris,  
quàm quòd sese homini Deus ardens tradidit vl-  
Nec melius Donum est, quo confirmetur amoris (tre-  
pignus id egregium, quàm sancti Gratia Flatus,  
ter quatuor lustrans qui flammæ in ima gine Fratres,  
jure Ministerii dictos, non sanguine, linguas  
in peregrinarum solvit discrimina vocum.

Quantæ ah parva sumus curæ nos turba parenti,  
quòd Triade è sanctâ, per aprica palatia cæli,  
æquales virtute Duos dimiserit Olim !

**PROGENIEM** æquævam, cujus stat sanguine fuso  
nostra salus, cujus stat acerbo Funere vita:

**FLAMEN** et æthereum, quod corda perambulat æstu  
Casta salutifero : ventosæ sibilus auræ  
ora. Viatoris velut adflat anhela, novasq.  
suscitat occultè sudanti in corpore vires.

Res igitur salva est. nostram Deus Ipse salutem  
prosequitur curâ. quænam minitancia casus  
fata timeremus? homines Deus ardet, & idem  
servat ab hostili nos tutos impete, Nati  
victus amore sui. quare omnem in Numine Christi

A iij

ponimus



## DE SPIRITV

ponimus auxilii spem, cui fiducia constans  
it comes, & comitem sustentat honore precandī.  
Vt verò orando mansuelcant pectora patris,  
credamusq. DEi non cassa in vota vocari  
prorsus opem, impellit nos spiritus iste, & amorem  
flectit ad obsequium, ut sapere incipiamus, & actæ  
surrepant animis fastidia conscia culpæ.

Ergo Rudimentum de sancti munere Flatus  
discite. namq. Patri par est, par Numine Nato,  
progrediturq. ab utroq. DEVS sine fine, sine ortu.  
Ipso animos sociante pios, per vincula verbi  
semper ad hæremus nos Fratri vivida Christo  
Membra: nec exitium, nec vim, nec tela timemus.  
Quòd si contingat, pavor ut celer ossa pererret:  
Illa animos addit, contraq. audentius hostem  
ire iubet, motusq. novos in pectore labis  
concitatur expertes: ut, quæ bona diētitat intus  
Dux Ratio, summi jurata in verba Magistri:  
hæc foris adstricto firment impexa capistro  
ora, probetq. tenax pietatis regula morum.

Gens operata sacris, Ipso Duce, & Auspice, passim  
colligitur: crescit sic sponsa Ecclesia Christi.  
Et quoniam jus illè DEi immortale tuetur,  
quod proprium est, omnes ut in oras exserat Orbis  
divinas



## S A N C T O .

divinas Vires, Majestatemq. verendam:  
 sic proprio probat esse Deum se jure, quod omnes  
 exserit in terræ tractus, & climata cæli.  
 Ipsi<sup>us</sup> instinctu Vates oracula prisca  
 concinuere, fidem pia per miracula probantes.  
 Nec verus, nec dignus honos decernitur ipsi,  
 Si renuit dictante sacro spiramine scriptis  
 Mens libris adhibere fidem, & fundamine niti.  
 HINC sit, ut haud sacer hic sese omnib. implicet Ignis  
 pectoribus: sed quos Iessæa é stirpe propago  
 læta tulit, mentes horum dignatur inire.  
 Stirps hæc est Cætus sacer, est Ecclesia, lethi  
 nescia, & interitus. quanquam omni parte prematur,  
 opprimitur nunquam beneconscia, & æmula palma.  
 Hæc sua scita refert de pace, Authoreq. pacis,  
 qui de Iessæa duxit primordia carnis  
 intemerata Domo. magnum velut ergo per Orbem  
 hæc dispersa Domus gremio prolata parentis  
 applicuit documenta sibi, neq. deserit unquam:  
 Sic nos membra sumus Iessææ Carnis, ab uno  
 associata DEo. sed ne Discordia rumpat  
 felicem in felix compagem, sædere miro  
 constructam nostrum est legem, quam Spiritus ille  
 entheus humanis infudit cordibus omni

exprimere



## DE SPIRITV

exprimere obsequio fidei, probitatis, & artis.

Hic verò hic animis opus est, studioq. tenaci,  
sancta medullitio ne pectoris excutiat

AVRA Dei, à solità prece degenerantib. ausis,

ah nil triste magis, nil perniciosius est, nil

scædus, hunc tantum quàm sede fugare profanâ

Hospitem, amicitia dignum, cultuq. perenni!

Hoc semel expulso, stabulum sit turpe Satanæ,

quæ Domus antè Dei fuit ornatissima Sedes,

Mens errat, miseræ nimium vicina ruinæ,

indiga consilii, lucis, Ducis, ordinis, æqui,

Religio est igitur dicto factove beatum

hunc violare Ducem, Triados qui tertia summæ

Flamma volat. nam qui crimen committit in illum,

Luce animi orbatus veniam, quæ Semita Vitæ est,

nequicquam exspectat. de Gente quid ergo futurum

velanâ, prodire negat quæ Flaminis Auram

ætherei ex Nato, sociog. parente, quod ire

non simplex ab utroq. queat: sed inania mentis

portenta excutio. si virtus una Parenti est

et Nato, si mens una, una potentia, & unum

ambobus si Numen inest sine fine: quid obstat

quod minùs esse queat simplex ab utroq. : probabit

Principii id Ratio: solidè spirabile Numen

Producit



## S A N C T O.

Producit Genitor : cur non quoq. Filius ævo,  
viribus, imperio, par Numine, Nomine dispar :

Quippe sui similis semper Deus vnus & idem est :  
hunc tamen Effectu nos trinum agnoscere fas est.

Gignit ab æterno Patris sapientia Natum,  
exit, ab æterno, Nato & patre spiritus ingens,  
laudibus, arbitrio, regnoq. æqualis utriq.

MENS Pater est, Natus SERMO RATIOQ.  
VOLVNTAS

Spiritus : est trinum Exemplum : Trib. una potestas.  
Omnia per sobolem, Flatu vegetante laborem,  
continuat Genitor : sic trino in Numine regnat  
Numen idem. hinc DIXIT Genitor, quæ deniq.

FECIT

Filius : at VIDIT plenum alto Numine Flamen,  
omnia successu in formam coisse secundo.

Fundamenta Pater rerum disponit, ea ornat  
Filius, exornata fovet sacer Halitus. ergo  
infundit Vitam Genitor Mortalib. ægris :  
hanc referens in se derivat Filius, auget  
Flatus, alitq. potens, spiramentisq., quod usquam est,  
servari probat omne suis. sic ore, manuq.  
nos, Nati, Elysii carpentes avia campi  
Signa pedum retrahit Pater, omni major amore.

A v

tum



## DE SPIRITV

tum verò parat obsequio conformia Flatus  
pectora, & à maculis, & avità sorde repurgat,  
ut sint apta DEO, sint digna habitacula templi.

Hoc pro cælesti fas est, ante omnia, dono  
gratum animum, & lætos animi decernere cultus.  
Semper enim in terris manet idem Spiritus, inter  
congressus sacros, vbi de pietate scruntur  
sermone, ubi pura sonant Mysteria Verbi :  
semper corda hominum bonus occupat ille piorum,  
non tantùm, quib. Ara Decus, nomenq. paravit :  
verùm etiam fugiunt qui partem à lege remotam,  
et castum ingrediuntur iter, quàm semita dulcem  
monstrat ad astraviam. semper bonus ille parentis  
more fovet nudos, quib. anxia & indiga sors est.  
Lumine qui capti lumen cæleste requirunt,  
his lucem infundit, quæ felicissima lux est :  
Noticia in mentemq. DEI : deîn plurib. auget  
muneribus : spe, Iusticiâ, pace, ubere rerum  
cognitione, Fide, vero pietatis amore :  
atq. aliis, quib. & Doctores sæpe sinistri  
ornati incedunt, summis veruntamen orbi  
arcanisq. manent donis : dilectio quorum  
vera Dei, verusq. timor, fiducia vera  
principe sunt disposita loco. nam sicut imago

impura



## SANCTO.

impurà speculi maculà obfuscatur in orbe :  
Sic non esse capax divini Flaminis unquam  
ulla potest ratio, nisi foedum criminis usum  
dediscat penitus, pereunte libidinis æstu.

Ergo procul, procul excedant deliria eorum  
quos ignominiam non tædet inurere spurco  
ore DEO trino, ac uni : fortissima ejus  
Vindex ipsa sui Majestas vivit honoris,

Nil sine divino Spiramine nostra voluntas  
exsequitur : nulla est, hoc Exsule, nostra facultas.  
præcipitem dat sponte sua se faucib. orci  
cæcus homo : revocare gradum sed nescit in auras,  
auxiliatricem nisi Dextram Gratia Divûm  
porrigat. ex nobis, quàm perniciole venenum,  
nil ultra est : Triade è sanctà Bonitatis origo.

SOLI DEO, PATRI, FILIO, ET SPI  
RITVI SANCTO GLORIA.

## IN INSIGNIA D. GREG. RHENANI.

C Vr Clypeo quæ Nissa suo pulcerrima gestat  
Lilia, dat Generi Cæsar habenda tuor  
Cur Gryphem his addit : vah quid rogo : nonne tuetur  
Gryphs aurum, Nissam tu velut arte, fides

IN



## IN EADEM.

Candida quæ clypeo gestat mea Nissa corusco

Lilia, sunt clypei congrua signa mei.

Hæc quasi custodit lateri Gryphs additus ingens :

Præformo studiis hinc documenta meis.

Det Deus, ut spirent Nissæ, & mea mutua odorem

Lilia : sit fructus mutua CVRA DEI.

D. O. M.

GLORIA.



IN







